



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Bracaren. Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## CAPITVLO BALNEARIAE.

Epiſt. 148.  
Ne ex mona-  
chis quicquam  
reſtinauerat, &  
de peccata simo-  
niorum.

**O**lim ad instantiam Vu. Presbyteri conquerentis quod Ecclesiam quam ei de consensu vester Prior vester sub annua pensione concesserat, & quam ipse animalibus multis ditarerat, abstulisset, & extendisset manum ad personam pariter & res ejus, astringens eum ferreis vinculis ad sedem apostolicam appellantem, cauſam ipsam venerabilis fratri nostro Meſlan. Archiepiscopo minimus commiſſiſe. Cūm autem ad citationem ipsius, ſicut ex litteris ejus accepimus, partes in ipsius eſſent præſentia conſtituta, dictus Presbyter ea qua Prior in Eccleſiae receptione contulerat, Prior verò quæ ipſi Presbytero pro concordia dederat, ſibi reſtitui poſtulabat. Cūmque poſtmodum idem Presbyter & ſua ſibi reſtitui & de violentia irrogata iuſtitiam fieri poſtularet, Prior ipſum converſum ac poffiſum ſuum eſſe aſſeruit, & ad id probandum quodam teſtes induxit, quorum depositiones Prior poſtmodum appellante idem Archiepifcopus ſub ſuis nobis litteris definiavit. Transcriptum etiam quoddam confeſſionis, quam idem Prior dicto Presbytero ſuper Eccleſia de Caſtronovo cum omnibus ejus pertinentiis concedebat, tali tenore quod eam in domibus, hortis, & vineis augmentaret, & ſexaginta porcos, pullum unum equinum, mulam unam, & quadrigentos ratienos offerret. Ceterum cūm dictus frater Vu. propter hoc ad noſtrām præſentiam accessiſſet, Prior verò non procuratorem idoneum ſed nuntium minùs ſufficientem ſolummodo deſtinasset, nos venerabili fratri noſtro Montis Regalis Archiepifcopo & P. tunc Regie Capellae Canonico Sabdiacono noſtro dedimus in mandatis ut dictum Priorem in expenſas legitimas condenmantes, inter partes, ſi fieri poſſet, concordiam reformarent, alioqui auditis quæ proponerentur binc inde, & rationibus partium pleniū intellectis, ita ut nihil reſtare niſi ſententia videretur, geſta omnia redacta in scriptis ſub ſigillis ſuis ad noſtrām præſentiam deſtinarent, ſtatuentes partibus terminum competentem quo præſentarent ſe noſtro conſpectui ſententiam recepturæ. Licet autem, ſicut idem Archiepifcopus nobis per suas litteras intimavit, conjuſdex ipſius antē quām par-

tes vocarentur ad cauſam, viam fuerit universa carniſ ingressus, ipſe nihilominus de conſenu partium in cauſa proceſſit, & Priore in expenſas, quas idem Presbyter in via fecerat, condennatō, conqueſtionem ejusdem Presbyteri ſuper iſpoliatione, captione, ac detentione ſua, & Prioris excuſationem audivit, ac teſtes ſuper conveſione & ſuſceptione habitus ipſius Presbyteri ex parte Prioris inducتو mandavit recipi & audiſi, licet idem Presbyter, contra id quod prius promiſerat, receptioni eorum noſuerit intereffe. Fuerunt etiam pro eodem Presbytero quidam ad teſtimoniū advocați, qui non jurati depoſerunt Presbyterum ipſum fuſſe carceri mancipatum. Verū cūm poſtmodum idem Presbyter & frater Io. Canonicus Balneariæ procurator ad hanc cauſam ſpecialiter conſtitutus, ad noſtrām præſentiam cum ejusdem Archiepifcopi litteris accessiſſent, nos eis dilectūm filium noſtrum G. sanctæ Mariae Diaconum Cardinalem congeſſimus auditorem: qui cūm omnia quæ coram eo recitata fuerant, ad noſtrām præſentiam reſtuliffet, nos intelligentes ſufficienter fuſſe probatum per teſtes ipſum in domo Balneariæ feciſſe profeſionem, ſuſcepitiſſe habitum & portaffe, ipſum eſſe poffiſum ejusdem Eccleſiae per ſententiam diſſi- vimus, & ab impetione ipſius ſuper hi- quæ ſibi reſtitui poſtulabat ſententialiter abſolvimus Eccleſiam memoratam; adjacentes, ut quia pro Eccleſia de Caſtronovo, ſicut ex aſſertione ipſius & confeſſione Prioris patuit, reatum con- traxerat ſimonia, ad eam de cetero nullatenus revertatur. Quia verò Prior vester non minùs immo magis in hoc de- liquiſſe videtur, volumus & mandamus ut uſque ad festum omnium sanctorum noſtrorum ſe conſpectui repræſentet, ratio- nem nobis ſuper contractu ſimonia- redditurus. Nulli ergo &c. diſſiſtio- niſ & abſolutioniſ &c. Datum Laterani XIV. Kal. Auguſti.

## BRACAREN. ARCHIEPISCOPO.

**C**ontroverſiam quatuor epifcopa- tum, Colimbreñis videlicet, Vi- fensis, Egitanensis, & Lamecenſis, inter Compoſtellanam & Bracarentem Eccleſias diutiū agitatam, non fine multo la- bore nuper curavimus exacta diligentia terminare; ſicut ex authentico ſenten-

Epiſt. 149.  
Vi concordiam  
inter ecclēſiam  
Compoſtellanam & Bra-  
caren. initam  
lervet.  
Vide ſupra  
epiſt. 133.

iii ij

tia liquido declaratur. In qua re causa quoque quinque episcopatum Gallæciae, scilicet Tudenſis, Auriensis, Min-  
dunienſis, Lucensis & Astoricensis, qui à bonæ memoriae Alexandro Papa prædeceſſore noſtro venerabili fratri noſtro P. Compostellan. Archiepiscopo pro il-  
lis fuerant assignati, terminata dignosci-  
tur, cùm principali quæſtione ſopita, &  
accessoria per con'equentiam ſit subla-  
ta. Vt autem ſuper hoc nulla imposta-  
rum dubietas oriatur, fraternitatи тuæ  
auctoritate præſentium duximus conce-  
dendum ut ſuper præfatis episcopatibus  
Gallæciae indubitanter pertinentibus ad  
metropolim Bracarenſem propter ea  
quaæ hæc tenus gera ſunt non valeas de  
cetero conveniri. Præſentibus quoque  
litteris duximus annotandum quod præ-  
fatus Cōpoſteſlanus Archiepiscopus ar-  
chiepiscopatus uī nomine p̄emifliſis epiſ-  
copatibus, Colimbriensi ſcilicet, Viſenſi,  
Tudenſi, Auriensi, Mindunienſi, Lucenſi  
& Astoricensi, Eccleſiis etiam ſancti Vi-  
ctoris & ſancti Fructuosi, cum omnibus  
pertinentiis ſuis, & medietati Bracaren-  
renuntiavit in perpetuum in præſentia  
noſtra & fratum noſtrorum, ſuper qui-  
bus fuerat à partibus litigatum. Datum  
Laterani XIII. Kal. Auguſti.

VIMANENSI, DE COSTA,  
& de ſancto Tornaco Prioribus.

*Epiſ. 150.  
Vt Archiepif-  
copo Bracaren-  
fi obediant.  
Cap. Cum  
non licet, De  
prescriptioni-  
bus.*

Cum non licet à capite membra re-  
cedere, non ſufficiamus admirari  
quod, ſicut referente venerabili fratre  
noſtro Bracarenſi Archiepifcopo noſtris  
est auribus intimatū, licet Eccleſiæ  
veſtræ in ipliſ ſint diocesi constitutæ,  
vos tamen nullum exemptionis privile-  
gium prætententes, obedire ſibi tan-  
quam Epifcopo veſtro contumaciter re-  
culatis. Cùm igitur crimen ariolandii ſit  
repugnare, & ſcelus idolatriæ nolle ac-  
quiefcere, ſuſtinere nolentes quod ſub-  
diti Prælati ſuis non obediant, ut te-  
nentur, de communi fratum noſtrorum  
consilio per apostolica vobis ſcripta  
mandamus, & in virtute obedientiæ di-  
ſtriictè præcipimus, quatenus præfato  
Archiepifcopo & Eccleſiæ Bracarenſi  
obedientiam & reverentiam debitam,  
ſicut alij Clerici ſuæ diocesis faciunt, de  
cetero ſine contradictione qualibet im-  
pendatis, præſcriptione temporis non  
obſtantē. Alioquin ſententiam quam  
idem in vos vel Eccleſias veſtras propter

hoc rationabiliter tulerit, ratam habe-  
bimus, & faciemus auctore Domino in-  
violabiliter obſervari. Datum Laterani  
XII. Kalendas Auguſti.

PORTVGALLEN. ET LAMECEN.  
& Epifcopis, & Abbati de Burio.

Ntimante venerabili fratre noſtro  
Bracarenſi Archiepifcopo noſtris est  
auribus intimatū quod dilectus filius  
Prior ſancti Martini de Caſtro, occaſio-  
ne cuiuſdam privilegi quod pendente  
lite de novo eodem Archiepifcopo igno-  
rante à bonæ memoriae Celeſtino Papa  
prædeceſſore noſtro dicitur impetratum,  
obedientiam confueram & reveren-  
tiam debitam denegat exhibere. Cùm  
igitur de jure naturali procedat, & hoc  
ipſum in Evangelio Dominus manifeſtet,  
quod quæcumque volumus ut fa-  
ciant nobis homines, & nos eadem eis  
facere debeamus, ſicut nobis ab aliis de-  
bitum honorem impendi, ſic fratribus & coepifcopis noſtris à ſubditis de-  
ferri volentes, eidem Priori de com-  
muni fratum noſtrorum consilio per  
scripta noſtra præcipiendo mandamus  
ut non obſtantē hujusmodi privilegio,  
neque commissione ad te, frater Epif-  
cope, & priuſ Epifcopum Lamecenſem  
& dilectum filium Priorem Eccleſiolæ  
poſtea impetrata, præfato Archiepifcopo  
& Eccleſiæ Bracarenſi de cetero ſine  
contradictione qualibet, ſicut alij Præ-  
lati ſuæ diocesis faciunt, humiliter obe-  
dire procuret. Quocirca discretioni ve-  
ſtræ per apostolica ſcripta præcipiendo  
mandamus quatenus ſi prædictus Prior  
mandato noſtro parere noluerit, vos  
eum ad id veritate cognita per censu-  
ram eccleſiaſticam ſine appellationis  
obſtaculo compellatis. Quod ſi omnes  
&c. Datum ut ſuprā.

OXMENSI, PORTVGALLENSI,  
& Placentinenſi Epifcopis.

Cum olim inter Toletanam & Bra-  
carensim Eccleſias ſuper Zamo-  
renſi epifcopatu, quem tunc Toletanus  
Archiepifcopus, ut dicitur, poſſidebat,  
quæſtio verteretur, felicis recordationis  
Eugenius Papa prædeceſſor noſter, nec  
Compoſteſlanensi Archiepifcopo nec  
Epifcopo Zamorenſi citato, nec denun-  
tiatione aliqua, ſicut venerabilis frater  
noſter Compoſteſlanensis Archiepifco-  
pus aſſeverat, ſuper hoc facta eisdem,

*Epiſ. 151.  
Vt Archiepif-  
copo Bracaren-  
fi Priorem S.  
Martini de Ca-  
ſtro obediens ca-  
gant.*

*Epiſ. 151.  
Vt cauillam  
Compoſteſlan  
& Bracaren,  
Archiepifcopi  
ſuper Eccleſia  
Zamorenſi co-  
gnoscant.*